DISPUTATIO THEOLOGICO-CHRONOLOGICA
DE
JOHANNIS BAPTISTÆ
Incarceratione unica ministerio ejus Publico finem imponente.

QUAM

FAVENTE DEO

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO

D. SALOMONE VAN TIL,

SS. Theol. Doctore, ejusdemque Facultatis in Illustri Acad. Lugd. Batav. Professore Ordinario, & Concionatore facundissimo,

Publicæ placidæque disquisitioni subjicit

THEODORUS VAN DER VECHT, Lugd.-Batavus.

Ad diem 23. & 27. Junii hora 2. post merid. locoq. solito.





LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typographum. M. DCC. X.

DISPUTATIO THEOLOGICO-CHRONOLOGICA

DE

Incarceratione Johann. Baptiſtæ unica, miniſterio ejus publico finem imponente.

§. I. DEO, cujus eſt rebus modum conſtituere & terminum, placuit Johannis opera parvo ſolum uti tempore, & eum confeſtim a ſtatione ſua revocare, ut lampada tempeſtive domino ſuo tradat. Hunc ſub triplici Baptiſmi ſolennitate miniſtrum egiſſe Euangelii fidelisſimum & Chriſti prodromum vidimus antehac; incepiſſe quidem anno Imperii Tiberiani xv. docuerat nos Lucas: aſt abruptum fuiſſe ejus in propagando Euangelio curſum haud diu poſt tertiam Baptiſmi ſolennitatem diſcere licet ex Euangelio Johannis Cap. 3. Interruptum fuiſſe viri maximi miniſterium ad tempus, & aliquandiu per aliquam ejus incarcerationem Herodianis vinculis priorem, & aliquo caſu ſolutam, finxit Bernh. Lami: ſed ut præcedenti diſputatione evicimus præter cauſam & rationem: cumque non expertus ſit præco famigeratisſimus incarcerationem aliam præter Herodianam, ex qua nunquam libertati fuit reſtitutus, quæque in cruentam ejus exiit necem, nunc inquirere in hujus modum & tempus conabimur, tanquam in terminum miniſterii ejus publici, quo a publicis actibus abſtinuit, & abſtinere coactus fuit.

§. 2. In lugubri hac ſcena prodit ipſe *Johannes* ocyus oppreſſus, & opprimens *Herodes* Galilææ & Perææ Tetrarcha cum *Herodiade*, ambitioſa Tetrarchæ uxore. Ille, qui in doctrina Evangelica domino præluxit, atque miniſterium ſuum vin-

oulis & sanguine suo confirmavit, erat *Johannes*, Zachariæ ex Elizabetha, fœmina sterili & effœta filius, in montanis Judææ natus & educatus, divinitus ad prodromi munus Domino nostro præstandum excitatus & vocatus: cujus ortum atque originem Cap. 1. nec non gesta Cap. 4. pluribus descripsit suo in Euangelio B. Lucas: qui ut truci iniquissimi principis manu discipulis fuit ereptus, non solum in sacris, sed etiam in extraneis proponitur literis. Unde colligas eundem Johannem suis valde inclaruisse & innotuisse temporibus, atque scelus in virum inculpatum commissum illico ad omnium aures pervenisse. Ne quis autem dubitet eundem intendere scriptores profanos, quem Euangelistæ, ex ejus prosopographia, quam conficiunt historiæ Judaicæ scriptores, inquiramus obiter. Josephus *Ant. Jud. lib. 18. C. 7.* eum a solennioribus Baptismi administrationibus *Baptistam* fuisse cognominatum expresse profitetur: testaturque porro *virum fuisse optimum, Judæos ad virtutum studia excitantem, imprimis pietatis & justitiæ: quodq; eos simul ad Baptismi lavacrum adduxerit.* De doctrina ejus laudatissima scribit, *quod hoc demum Deo gratum fore dixerit, si non ab uno tantum alterove peccato abstineant, sed animis per justitiam prius mundatis addant & puritatem corporis.* Ut fuerit doctor doctrinam suam Baptismo obsignans, & gratissimus populo, ac celeberrimus, *ad quem* ait, *& magnos factos fuisse concursus, plebe talis doctrinæ avida*: imo tantam *ejus fuisse existimationem apud Judæos* adjicit, ut *ab irato Deo*, ejus necis vindice, *perditum fuisse Herodis exercitum autumaverint*. Unde etiam constat, eum ante Arethæ Regis prælium cum ipso per legatos commissum jam ab Herode sublatum fuisse, ut rem omnem ad Pilati procuratoris in Judæa præfecturam referat, antequam Vitellius præses Syriæ provinciam ingressus fuerat, superstite adhuc Tiberio: sub quo Dominus cruci affixus est. Quare de eodem agit Johanne Baptista, qui Christo fuit coævus. Hinc Johannem etiam in eo numero versantem descripsit Auctor *Chronici Regum sub templo secundo*, apud quem vocatur noster, ab Antipa, ejus redargutionem ægre ferente, post modum occisus, *R. Johannes Sacerdos magnus*, qui proinde eum doctorem publicum & virum Sacerdotalis ordinis fuisse, ex sacerdotali familia oriundum agnoscit, & quidem *Magnum*, atque supra vulgus magistrorum evectum, qui vel ipsum principem arguere

ere

ere tusus fuit. Hunc etiam dum ab Antipa ob reprehensum ejus cum Herodiade matrimonium percussum dixit, etiam iis vixisse temporibus, quibus Princeps Aretæ filiam dimisit, eique violato thoro ansam se ad Patrem Aretam recipiendi præbuit. Notandum etiam obiter, quod cum Auctor Chronici Johannem titulo *Rabbi* ornet, id eum fecisse ex more discipulorum Johannis, qui eum sub eodem titulo compellant, *Joh*. 3. *verʃ*. 26. ubi ad eum accedentes, eumque convenientes, ajunt *Rabbi*.

§. 3. Qui in hac scena spectatur, ut tanti doctoris oppressor est *Herodes*, uti non tantum appellatur ab Euangelistis, sed etiam a *Josepho Ant. Jud. c*. 18. *l*. 7. Apud *Lucam c*. 3, 19. *Herodes Tetrarcha* audit, ut & apud Josephum l. c. & in nummo ab ipso in honorem Caji Cæsaris cuso. Honoris ille fuit titulus, & potestatis politicæ index; ita enim Principes quartæ post Augustos dignitatis vocabantur; quorum auctoritas nullam nisi Cæsaris, Regum & Præsidum Syriæ agnoscebat superiorem. *Lucas Cap*. 3, 1. qui anno imperii Tiberii Cæsaris *Tetrarchiam Galilaea tenuisse Herodem* scribit, hunc nostrum designat, ut teneamus, qua potestate jus necis exercuisse in Johannem sibi visus fuerit. In testamento Patris videtur vocatus *Antipas*: uti apud Josephum *Ant. Jud. lib*. 17. *c*. 10. & apud Auctorem Chronici Regum templi secundi: sed hoc ejus cognomen fuisse testatur Josephus *lib. de bello Jud*. 2, 8. Recensentur inter filios Herodis magni etiam alius *Herodes*, illi ex Simonis Pontificis filia natus; & alius *Antipas*, Herodis ex Malthace (an Marthace) Samaritide filius, qui fuit Archelai frater uterinus. Sed neuter in tabulis testamentariis Herodis Regis memoratus. Ut hic noster fuerit Herodis magni ex Cleopatra Hierosolymitana filius, Philippi frater uterinus, natu minor: Principatus Galilææ & Perææ ex ultimis Regis tabulis hæres, ab Augusto in ea dignitate confirmatus: qui satis diu eam Tetrarchiam sub Augusto, Tiberio, & Cajo tenuit, a quo ultimo cum conjuge exauctoratus & in exilium relegatus est. Confirmantur ea ex nummo supra memorato, qui eum XLIII. principatus annum attigisse sub Cajo testis est: ab una parte palmam, Palæstinæ symbolum, referens cum inscriptione ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ Λ. Μ. Γ. id est, *Herodes Tetrarcha anno* XLIII. Ab altera spectatur corona, & intra eam hæc verba decurtata ΓΑΙΩ ΚΑΙΣΑ ΓΕΡΜ. ΣΕΒ. id est *Cajo Cæsari Germanico Augusto*. Culpatur Tetrarcha

ab Auctore Chronici Regum templi secundi ut homo impius: ita enim ille: *Etiam impie egit Antipas & abominanda patravit præ omnibus, qui ante ipsum fuerant, & accepit uxorem Philippi fratris sui a sub potestate ejus, quæ jam ei pepererat; redargu t ipsum ob hanc abominationem, R. Johannes, sacerdos magnus, & percussit eum Antipas, ac morte eum affecit.* Quæ plane cum Lucæ testimonio conveniunt; qui rem *Cap. 3, 19. 20.* ita refert: *Herodes Tetrarcha cum argueretur ab eo, de Herodiade uxore Philippi fratris ejus, deque NB. omnibus sceleribus, quæ ipse perpetraverat, adjecit hoc super omnia, quod Johannem inclusit in carcere.* Ut proin hic idem fuerit Tetrarcha, qui hunc eundem Johannem ligatum continuit in carcere, & postea carnificis gladio interim præcepit.

§. 4. In consortium sceleris venit *Herodias*, tunc facta Principis conjux, mulier proterva & ambitiosa, Aristobuli ex Bernice filia, & Herodis Agrippæ soror: quæ *in contemptum legis patriæ* nuper Tetrarchæ nupserat, deserens priorem conjugem Tetrarchæ fratrem adhuc superstitem, & cui filiam pepererat. Hoc crimen cum Johannes perstringere ausus fuisset, Tetrarcham coram redarguens, atque ipsa se per latus mariti perfossam sentiret, plusquam Vatinianum in censorem ipsa concepit odium, non nisi sanguine ministri Dei fidelis satiandum; a quo tempore ἐνεῖχεν αὐτῷ καὶ ἤθελεν αὐτὸν ἀποκτεῖναι, καὶ οὐκ ἠδύνατο, quia id statim marito persuadere, atque eum in consensum pertrahere non poterat. Quæ tamen tandem post annuam Censoris in vinculis custodiam id arte effecit, ut votum suum tandem assecuta sit: ac maritum jurejurando implicaverit filiæ suæ concedere quicquid vellet. Quæ cum ex inductione matris caput peteret Johannis in disco protinus adducendum, antequam vinum & libido a Tetrarcha recederent, factum est, quod jam diu præoptaverat. Per hanc circumstantiam evincitur ministerium Johannis (quod inceperat anno Tiberii XV.) viguisse, donec incestuosum hoc Herodis cum Herodiade conjugium vix esset consummatum: & Aretæ filia e domo Herodis ad parentem Arabiæ Regem confugiens, mariti perfidi studia effugisset: a cujus rei indagatione forte accuratior vinculorum Johannis (quoad tempus abrupti ejus ministerii) pendet cognitio: uti singulari disputatione eruere tentabimus.

§. 5.

§. 5. Hostilis (quem in gratiam Herodiadis adversus Johannem nostrum fecit Herodes Tetrarcha) insultus primus fuit, qvod missis satellitibus eum prehensum *Carceri* incluserit: ita *Marcus Cap. 6, 17. Ipse enim Herodes missis in eum satellitibus prehenderat Johannem propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui.* Et *Matthæus Cap. 14, 3. Prehensum Johannem vinxerat & posuerat in carcerem.* Quod procul dubio factum fuit; quando Johannes in Peræa Herodis ditione, muneris sui prosequendi gratia, agebat: Non enim alias ausus fuisset Herodes extra suum territorium in qvenqvam immittere satellites: cumqve terra omnis ad occidentem Jordanis ditionis Romanæ fuerit, cui Pilatus præerat, homo Herodi minus amicus, per satellitum legationem in eas oras, violatæ jurisdictionis commisisset crimen, ipsi sane omni studio fugiendum. Neqve alienum erat a consvetudine Johannis in Peræa morari, in qva sub Herodis ditione magnam ministerii sui partem obiit. Cum primam celebraret Baptismi solennitatem in Peræa egisse docemur, *Ioh. 10. c. 5, 40. Et transiit Jesus iterum ultra Jordanem ad locum, ubi Johannes primum baptizabat*, sc. qui nuper in occulto adscenderat ex Galilæa Hierosolymas ad festum tabernaculorum per viam non vulgarem Peræam scil. nunc a civitate sancta se confert iterum in eam regionem trajiciens Jordanem, ut veniat in locum, ubi primum baptizaverat Johannes. Altera Baptismi solennitas in Bethabarâ celebrata, etiam ultra Jordanem fuit habita: de ea enim loqventes discipuli Johannis, dixerunt ei *Joh. 3, 26. Rabbi, qui tecum erat ultra Jordanem, cui testimonium dabas* (conf. 1, 19-36.) *ecce ille baptizat, & veniunt omnes ad eum.*

§. 6. Probabile est, Herodem satellitium in nuperum suum censorem immisisse ex civitate ejus aulica, seu palatio ordinariæ commorationis, ubi alebat Herodiadem nuper domum ductam; ista enim ex redeunte a colloqvio, qvod cum Johanne habuerat, marito edocta, ut a libero isto ore reprehensus fuerat, in eam sententiam maritum pertraxit, ut ejus prehensionem satellitio suo commiserit. Certissimum est Herodem in Peræa oppidum, qvod tum Betharamptha dicebatur, communitum degisse, & mutato nomine ab uxore Augusti *Juliada* appellasse: (qvæ videtur *Lybias* aliis dici, Eusebio nempe & Hieronymo testibus.) Trans Jordanem fuisse situm oppidum & ejus agrum qvatuordecim

vicis

vicis habitatum testis est *Jos. ant. l. 20. C. 5.* Cumqve Romæ disceptatum fuit de Herodis testamento, ortis contra Sabinum turbis, paulo ante susceptionem principatus, apud Betharantes incensas fuisse sedes regias qvascunqve Jordani proximas idem affirmat *de bello Jud. l. 2. C. 2.* ut proinde jucundissimam regionem Transjordanianam sibi restaurandam elegerit. Etiam *Jos. c. 13, 27.* Betharan audit, atqve describitur in sorte Dan in valle, id est, campo magno, qvi situs amænitate igitur & vicorum vicinorum multitudine pergratus fuit, atqve propter hanc præstantiam & munificentiam eam civitatem Nero postea Agrippæ juniori juxta cum Tiberiade & Tarichæis dono dedit. Videtur & ad hanc regionem referendum castrum *Amathus*, omnium, qvæ ad Jordanem sita sunt, munitissimum. *Jos. ant. l. 13. 21.* ubi ut jura peterent Transfluviales jam olim constituerat Gabinius. Qvod si ista civitas ab Herode eum in modum exculta fuerit Tetrachæ sedes? jam parum abfuisse videtur a locis, in qvibus Johannes potissimum egit, qvamdiu liber egit.

§. 7. Locus *custodiæ* Johannis, in qvo in vinculis tenebatur, teste Josepho, fuit *Macherus:* dicit enim, *qvod Herodes eum vinctum miserit in Macharuntem, ubi eum occidi imperavit.* Neqve causam video, cur qvis Josepho, id asserenti, fidem deneget? qvippe Evangelio nil contradicente, sed eam loci circumstantiam omittente: & fama rei gestæ adhuc apud Judæos in vigente memoriâ perstante. Erat autem *Macharus* in Peræa ultima ad meridiem civitas, in confiniis Arabiæ condita. Unde *Herodi regnanti omnibus locis dignior cura visus est & constructione tutissima propter Arabum præcipue vicinitatem: nam opportuni situs est locus, eorum fines prospectans, â lacu Asphaltite non ultra* LX. *stadia* (qvæ etiam distantia Abile à Jordane fuit) *in orientem remota aberat.* Innotuit etiam ex fuga primæ Herodis uxoris, Aretæ Regis Arabum filiæ, qvæ novè contractum Herodis cum Herodiade matrimonium, & stipulatam suam è domo Herodis ejectionem præsentiens, ut mala prævisa evaderet, huc se conferendi veniam ab Herode impetravit, cumqve appulisset in viciniâ, milites parentis ad salvum conductum missos invenit, qva arte ad patrem rediit. Naturâ civitas profundissimis vallibus circumqvaqve circumdata, insuperabilis erat, qvam tamen Rex Herodes maximis sumptibus ulterius muniverat, civitatem muro turribus interstincto claudens; & arcem in vertice montis etiam suo muro obo-

rans,

rans, in cujus angulis turres sexagenis cubitis altos erexerat: qvi & hunc locum in armamentarium sagittarum machinarumque multitudine refertissimum delegerat.

Qvod *Bernh. Lami* contra Josephi assertionem opponit, *Machaerunta* eo tempore non Antipae, sed Aretae civitatem fuisse, hujus regno obnoxiam: idque ex ipso Josepho probare conetur, id equidem erroneum est. Locus, qvem respicit, exstat *ant. l. 18. C. 7. domum*, inqvit de Herode *ex itinere Romano reversum uxor, tenens qvid pactus esset cum Herodiade, dissimulanter rogat, ut se mittat in Macharuntem, castrum situm in confiniis regionis, Aretae subdita, qvantum poterat celans suum propositum. Morem gessit Herodes mulieri, putans eam nihil sensisse: Illa, qva jam ante curaverat apud Macharuntem, patri suo tunc obnoxiam, ad iter omnia parari, a praefecto ejus excepta deducentibus Arabibus magna celeritate pervenit ad ades patris, eiq; indicavit Herodis animum.* Hunc locum, qvi expendit, satis intelliget ejus mentem non esse, qvod ipsa Machaerus fuerit Aretae obnoxia, sed regio apud Machaeruntem, in qva ut omnia ad eam excipiendam parata essent, ipsa curaverat: non enim dicit eam Machaeruntem ingressam, sed apud Machaeruntem qvasi abreptam. Sane si Machaerus Arabicae fuisset ditionis, *non permisisset Herodes* uxori locum adire extra ejus potestatem constitutum, & Aretae praesidio munitum: neqve opus fuisset tanta cum *celeritate* iter maturare, si non fuisset metus, qvod praesidium Herodis in Machaerunte forte eam fugientem conaretur assequi, & in hoc munimento captivam retinere in custodia. Sane ad terram Judaicam spectasse constat, qvia Alexander murum illi circumdederat, Herodes Rex locum magis muniverat, & in bello Judaico cum Romanis perpetuo spectatur, ut populi Judaici oppidum, & firmissimum Reipubilicae Judaicae munimentum.

§. 8. Circa vinculorum & custodiae Johannis *causam*, non videtur ad primum intuitum eadem Josepho cum Evangelistis sententia. Ille rem in hunc modum exponit, *cum magni*, inqvit, *ad Johannem fierent concursus, plebe talis doctrinae avida, veritus fuit Herodes, ut tanta hominis auctoritas defectionem aliqvam pareret: qvodqve viderentur nihil non facturi ex ejus consilio: ut hinc judicaverit, satius esse, priusqvam novi aliqvid exoriretur, illum tollere, qvam rebus turbatis seram agere poenitentiam: atqve ideo eundem vinctum & missum Macharuntem, ut illic occideretur, imperasse.* Ast Evangelistae tres priores consentiente calamo Herodem id fecisse propter Herodiadem testantur, a qvo Johannes illi dixerat, *non licet tibi eam uxorem habere:*

recqvæ sc. est uxor fratris tui. Vide *Matth.14,4. Marc.6,18.* Rem totam ita exponit *Lucas Cap.* 3,19.20. ut Johannem in carcere incluserit, *cum ab eo argueretur de Herodiade uxore Philippi fratris ejus.* Eandem percussi Johannis ab Herode causam dat Auctor Chronici supra allegati, qvod Herodem *ob eam abominationem redarguerat.* Attamen licet diversa dicant, non tamen autumandum eos scriptores sibi mutuo contradicere. Certum est Herodem ob incestuosum cum Herodiade matrimonium rigidius a nostro Catone fuisse correptum, sed & plura alia ipsum in Tetrarcha notasse vitia monet & Lucas: qvales stricturas etiam in Primates Judæorum dederat. Hæc cum intelligeret Herodias, illa Marito auctor fuit, ut in severum illum Catonem immitterentur milites, usa hoc argumento, qvod si Princeps talia æqvo ferret animo, fore ut ejus auctoritas vilescat, & Johannes crescens plebem ad defectionem moveat. Hæc cum imperiosa mulier urgeret, maritum in suam pertraxit sententiam, ut in uxoris gratiam saltem jusserit eum prehendi & vinculis constringi, quo principem liberiori sua censura vulgi odio exponere non pergat. Qvod si nunc Evangelium audiamus, captum non ilico, uti præoptabat uxor, tolli voluit, sed prudenter coërceri tutum illi custodiæ locum prospiciendo, in qvo ab omni populi commercio sejunctus asserveretur, & ab insidiis uxoris remotus secure conserveretur. Atqve ita diversæ narrationes facile in consensum revocantur.

§. 9. Cur autem uxoris imperiosæ voto non in totum concesserit, quæ statim a comprehensione istum Catonem interemptum cupiebat, eumqve occidere tam confestim non ausus fuerit partim metui conscientiæ, partim metui a vulgo tribuunt Evangelistæ. Prius notavit *Marcus c.* 6,20. ubi rationem daturus, cur Herodias a Tetrarcha promptam Johannis exstinctionem impetrare haud potuerit? ait, qvod Herodes ἐφοβεῖτο τὸν Ἰωάννην, εἰδὼς αὐτὸν ἄνδρα δίκαιον καὶ ἅγιον, καὶ συνετήρει αὐτόν: καὶ ἀκούσας αὐτοῦ, πολλὰ ἐποίει, καὶ ἡδέως αὐτοῦ ἤκουε. *Illum Iohannem metuebat Herodes, tenens eum virum justum & sanctum esse, atqve custodiebat ipsum, multaq; ab ipso audiens faciebat, & lubentur adiebat ipsum.* Tenebat itaqve per conscientiam, *qvod Iohannes esset vir justus & sanctus,* seu aut audivimus ex Josepho §. 2. *pietatis & justitiæ* incitator: qvem sine conscientiæ læsione non poterat occidere: qvare diu principem ab hoc scelere cohibuit, contentus eum habere in custodia, in qva sententia & magis fuit confirmatus, qvando eum in qvibusdam in consilium adhibuit, ejusqve rationes libenter audivit, & consultationes

nes secutus est. Altera causa fuit metus populi, qvam indicat *Matth.* C. 14, 5. dicens, qvod Herodes θέλων αὐτὸν ἀποκτεῖναι, ἐφοβήθη τὸν ὄχλον, ὅτι ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον. *Volens ipsum occidere, metuerit plebem, eo qvod eum tanqvam Prophetam haberet.* Qvibus notat, qvod ab eo occidendo ille abstinuerit, non ex amore Johannis, qvippe qvi maluisset uxori placere, & eum, qvod ipsa vehementer flagitabat, plane e medio tollere; sed ex vulgi metu; plebem enim id factum interpretaturam, ut Prophetæcidium, atqve facile ob id rebellionem concitaturam. Utrumqve ergo Herodem a præcipiti Johannis occisione refrænasse, aperiunt conscientiam sanctitatis viri, & metum vulgi, qvamdiu viri existimationem attendebat, eamqve non præter causam susceptam & ipse experiebatur.

§. 10. Nec tamen ulterius in eo statu permansitt, qvam ad diem Herodis *Genethliacum* qvo hilaribus indulgens, in ista attentione non permansit, sed arte Herodiadis circumventus, inconsideranter ad virum optimum interimendum præceptum dedit; Historia exstat *Matth.* 14, 6. 11. *Marc.* 6, 21. 28. Res huc redit, qvod Herodes die suo natali magnis epulis exceperit magnates, Chiliarchas & Galilææ primores, idqve convivium videtur in ipsa arce Machæruntis celebratum. Hic saltabat Herodiadis filia, placuitqve Herodi & omnibus accumbentibus saltatricula. Unde Tetrarcha vino & libidine incalescens pollicetur se ei daturum, qvicqvid postularet, etiam ad dimidium regni sui, illudqve jurejurando firmabat. Puella, e medio egressa consuluit matrem, qvid petitum esset, cumqve mater nihil prius haberet, quam Johannem de medio tolli, puella reversa, ut a matre erat præmonita, petiit sibi caput Johannis in disco dare protinus, anteqvam vini calor recederet a principe. Tetrarcha hoc audito indoluit qvidem, sed propter juramentum & convivas, cætera non revocans ad animum, misso sc. speculatore jussit Baptistæ caput demi & puellæ in disco tradi, qvæ susceptum munus matri attulit. De injustitia facti egregie Grotius ad hunc locum hunc in modum scribit: *Apparet Macharunte celebratum fuisse hoc convivium, trucidatur vir sanctus, ne judiciorum qvidem ordine servato: nam gentes populo omnino inspectante plecti lex Mosis jubet. Romæ Flaminius accusatus est imminuti magistratus crimine, qvod hominem haud dubie nocentem non more majorum, sed in convivio jussisset interfici.*

§. 11. Discussa proin historia oppressionis tanti Prophetæ & prodromi Christi, animadverti volumus, non solum ministerium

Eliæ nostri spiritualis cum ejus vita ad suum pervenisse finem, sed etiam cum vinculorum principio fuisse abruptum: a qvo tempore ab omni cum populo commercio avulsus, & a qvotidiano cum discipulis colloqvio coërcitus fuit: ut in carcere latens a publica doctrina & baptismo se abstinere coactus fuerit. Primus abrupti ejus ministerii gradus fuit, qvod immissi in eum satellites, eum capiendo cum nota infamiæ populo & suis subduxerint, eum ut hominem gravioris criminis reum prehendentes, & ad Principem rapientes, qvo existimatione, qvam sibi apud turbam acqvisiverat, exuatur. In qvam mentem *Marcus* scribit C. 6, 17. Ἀυτὸς ὁ ΗΡΩΔΗΣ ἀποστείλας ἐκράτησε τὸν Ἰωάννην. Qvare per emissarios, vi & robore armatos prehensus est, qvi ei vincula injecerunt. Unde *Matthæus* c. 14, 3. de Herode *κρατήσας ἔδησεν αὐτόν*. Qvomodo cum latronibus agere moris erat, ut postmodum dixit Dominus *Matt.* 26, 55. solebant enim alias homines bonæ famæ in suspicionem aberrationis venientes in jus vocari: non vero armata manu prehendi & ligati abduci.

§. 12. Alter oppressionis gradus fuit, qvod statim in *carcerem detrusus* ab ulteriori cum populo consortio separatus fuerit. Vocatur autem iste carcer ab Evangelistis *Φυλακὴ, custodia:* qvippe locus, in qvo captivi, ne effugiant, aut aliena manu inde subducantur, asservari a custodibus solebant, qvo propria libertate, agendi qvod lubet potestate privati, in potestate & sub arbitrio captivantis remaneant: qvo etiam a rebus publicis abstinere detenti coguntur. Neqve aliam ob causam qvoqve noster in custodia ista vinculis constrictus retinebatur, qvæ rigidioris asservationis nota erat: cujus exempla exstant in Actis cap. 12, 6. 16, 26. Qvare durante ista custodia prædicare Evangelium regni, illudqve præconium baptismo obsignare (in qvibus publicum ejus constabat ministerium) amplius non potuit; ut ibi collocandus sit ministerii ejus finis, ubi libertatis ejus invenimus terminum, & vinculorum carcerisqve principium, ex qvo nunqvam vivus & sospes rediit; qvippe in iisdem vinculis nefandum in modum trucidatus.

§. 13. Confirmat nostram illationem amplius consideratio *loci*, in qvo custodia illi assignata fuit, qvi erat *Machærus*, territorii Herodiani in confiniis Arabum fortissimum propugnaculum & armamentarium, militum fortissimorum & fidelissimorum autem præsidio semper instructum: unde difficilis dabatur ad captivos ibi detentos aditus, & ab iis reditus. Qvodnam autem Tetrarchæ in eo loco eligendo fuerit consilium, qvando Baptistam in eam

eam in custodiam abduci jussit? haud difficile conjicias. Ita enim effecit, ut nemo in animum inducat vel ullo conamine viri exoptatissimi liberationem tentare; neqve Herodiadi relicta fuerit ansa præter voluntatem principis occisores in eum immittendi: cum locus ille sub militari præsidio tutior erat, qvam ut talia consilia exseqvi qvisqvam potuerit. Ut Marcus nil aliud intenderit, qvando ait: *Herodiadem non valuisse*, qvod tam vehementer desiderabat, *cupiens eum interimere*, eo qvod Herodis prudentia hoc medio, uxori meditati sceleris consummandi ansam præsciderat. Huc etiam faciebat, qvod a Regia remotior esset locus, & a populi freqventia satis sejunctus, cum pro territorii claustro haberetur.

§. 14. Qvando ergo legimus, qvosdam ex Johannis discipulis ad magistrum adeundum & compellandum fuisse admissos, qvi illi gesta Christi indicarunt, & ab eo legationem redeundi ad Dominum receperunt: id pro rarioris indulgentiæ & conniventiæ exemplo habendum est, non nisi paucis simul concessum aut concedendum: alias enim discipuli Johannis in Evangelio post magistri abductionem occurrunt, ut dispersi, & turbæ populi, qvæ Dominum per Galilæam oberrantem seqvebatur, immixti: ut rarius licuerit nostro cum uno & altero discipulorum suorum colloqvi. Privati igitur fuerint sermones, qvos cum duobus illis discipulis habuit, oportet, & peculiari Dei provideutiæ tribuendus casus.

§. 15. Restat nunc, ut in justum finiti ministerii tempus inqviramus diligentius: qvod cum tempore captivitatis ejus Herodis jussu præscriptæ, coincidere jam evicimus. Hinc regula nascitur, qvod invento anno & tempestate incarcerationis Johannis, inveniamus etiam tempus finiti ministerii Johannis Baptistæ. Certissimum est, tempus, qvo dintercessit inter Johannis prehensionem & martyrium, excedere plus qvam annum integrum: trucidatus enim fuit paulo ante Pascha vitæ Christi penultimum: vigente ea Apostolorum legatione, qva partes transierunt per varias terræ regiones, clari facti & doctrina & miraculis; qvoniam horum fama turbavit Herodis animum, & conscientiam ei ex cæde Johannis male consciam proritavit, ut notant *Marcus* c. 6, 7-14. & *Lucas* c. 9, 9. ab hac autem legatione redeuntes Apostoli in miraculosa cibatione ultra mare Gennezariticum, in loco deserto facta ministrarunt domino *Marc.* 6, 30. 44. cum Pascha festum Judæorum prope adesset, ut notat *Iohannes Cap.* 6, 5. qvod Pascha fuit vitæ Christi penultimum. Hinc *Matthæus* famam occisi Johannis proxime conectit cum Christi secessu in locum illum

desertum, in qvo miraculosa cibatio celebrata fuit c. 14, 13. ut necesse sit vigente illa legatione Johannes occubuerit, & Apostoli a nece ejus eandem absolverint: id est paulo ante Pascha vitæ Christi penultimum: Unde seqvitur anno Æ. V. xxxii. ineunte, ante tempestatem vernalem, martyrem nostrum vitam cum morte commutasse. Qvamdiu autem in carcere fuerit detentus? investigandum porro est. Sane huic moræ annum integrum esse concedendum inde patet, qvod Pascha vitæ Christi antepenultimum (ex gestis Christi Sabbatho deuteroproto colligi solitum) aliqvot menses post Johannis inclusionem celebratum fuit; flagitantibus id rerum narrationibus, qvas Evangelistæ inter illa duo vincula sc. Johannis, & gesta Sabbatho deuteroproto, interponunt: seu qvod idem est inter Christi ingressum in Capernaum, qvando jam recens Johannes incarceratus erat & ejus ambulationem cum discipulis per sata, hoc Sabbatho aristas vellicantibus: intercesserunt enim & tempus, qvo in ea civitate mansit, & expeditio qvædam, qva jam multos vicos & urbes Galilææ transiens, fama miraculorum allexerat ad se Pharizæos, legisqve Doctores, non solum ex Galilæa, sed etiam ex Judæa & Hierosolymis, qvi ut legati se turbæ immiscebant ad inspectionem rerum, seqve dictis & factis Christi opponebant, ut tertia vice faciebant in ipso Sabbatho deutero-proto. Qvæ tanta sunt, ut nonnullorum mensium spacium postulent. Unde constat, qvod aliqvot menses ultra annum Baptista ante mortem in carcere consederit. Seqvitur etiam porro, ut anno Æ. V. xxx. exeunte, aut saltem ad brumam vergente vinculis inclusus a publico ministerio se abstinuerit.

§. 16. In disp. nostra de solennitatibus Baptismi Johannis ostendimus §. 12. 13. *Tertiam*, qvæ in Ænon prope Salim habita fuit, post Pascha lustricum collocari. *Ioh.* 3, 23. 24. addita causa, qvod *Iohannes nondum esset in carcerem conjectus:* atqve ex eo, qvod locum qvæsiverit, ubi esset aqvarum copia, inclusimus *æstate* ejusdem *vigente* adhuc in libertate munus suum obiisse, ita tamen ut subindicet Johannes, vincula ei ab isto exercitio fere præ foribus adfuisse: atque virum optimum id jam tum præsentiisse *Ioh.* 3, 30. uti & Christus ejus tempus, qvo ut lucerna præluxerat, vocat *parvum tempus*, *Ioh.* 5, 35. ex qvibus sponte profluit, qvod anno Æ. V. xxx. labente muneri suo publico finem imponere, & domino suo lampada tradere coactus fuerit. Qvippe per festum *Ioh.* 5, 1. intelligunt *Pascha*, illud necessario ad Pascha vitæ Christi antepenultimum referre coguntur, eo qvod penultimi notatio seqvitur *Ioh.* 6, 1. ante qvod *Io-*

hannes

hannes a Judæis indicatur jam ablatus. *Ioh.* 5, 33 - 35. ut in luce ejus amplius se delectare non potuerint.

§. 17. Imprimis sententiam nostram Synchronismo *captivitatis Iohannis cum translatione domicilii Christi in Capernaum*, qvam solidissime demonstrari, magis magisqve observamus. Evangelistarum testimonia synchronismum illum extra omnem dubitationis aleam collocantia, sunt *Matth.* 4, 12. 13. Ἀκȣ́σας δὲ ὁ Ἰησȣ̃ς, ὅτι Ἰωάννης παρεδόθη, ἀνεχώρησεν εἰς τὴν Γαλιλαίαν: καὶ καταλιπὼν τὴν Ναζαρὲτ, καὶ ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς Καπερναȣ̀μ. *Marc.* 1, 14. Μετὰ δὲ τὸ παραδοθῆναι τὸν Ἰωάννην ἦλθεν ὁ Ἰησȣ̃ς εἰς τὴν Γαλιλαίαν, κηρύσσων τὸ Εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας τȣ̃ Θεȣ̃. Hanc traditionem Johannis nullam aliam esse, qvam Herodianam, vel inde constat, qvia nullam aliam priorem esse admittendam contra *Bernhardum Lami* peculiari dissertatione asseruimus. Unde seqvitur eam ut contemporaneam jungi cum regressu Christi in Galilæam, qva ex Judæa rediit per Samariam in patriam, & domicilium suum ex Nazaretha transtulit in *Capernaum*; cujus mentio fit *Iohannis* 4, 43-45. Qvia usqve ad illud tempus *Iohannes* noster *nondum in custodiam traditus fuerat. Ioh.* 3, 24. Constat Christum a recepto in prima baptismi Johannis solennitate baptismo & superata Diaboli in deserto tentatione prima vice in patriam abiisse; altera post secundam baptismi Johannis solennitatem, qvando eum suo ornaverat testimonio, qvi reditus innotuit uno tantum miraculo: sed hic reditus, de qvo Evangelistæ loqvuntur, ex secundo in Galilæa miraculo, pluribusqve aliis statim seqventibus, inclaruit. *Ioh.* 4, 54. *secundum hoc signum iterum fecit Iesus, qvando ex Iudaea in Galilaeam venerat Iesus*, a qvo sc. Samariam revertendo trajecit, in ea tantum per biduum moram trahens: ut fama de Johannis incarceratione demum cum hoc tertio Christi in Galilæam regressu sit componenda.

§. 18. Ut autem anni designati tempestatem indicemus, repetenda sunt, qvæ adduximus: sc. qvod tertiam baptismi solennitatem æstate vigente celebraverit, & Christo per Samariam ex Judæa in Galilæam redeunte in carcerem raptus fuerit Johannes, aliqvot ante Pascha Christi antepenultimum mensibus: ex iis enim jure conficio in tempus autumnale anni Æræ Vulg. xxx. tam illustris regni Dei præconis & prodromi Christi captivitatem incidisse. Accedit, qvod Dominus in ipso provinciæ Samariæ transitu, tempestatem anni indicaverit, ubi dixit *Ioh.* 4, 35. οὐχ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἔτι τετράμηνόν ἐστι,

καὶ

καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται; *nonne vos dicitis, qvod adhuc qvatuor menses sunt, & venit messis;* Cum messis inciperet in terra ista immediate a Paschate, eaqve in medium mensis primi vernalis incideret; seqvitur ante exitum autumni ea dicta fuisse, illumqve sermonem cum prehensione Johannis præterpropter contemporaneum recte a nobis accipi, ut tempestatis indicem, qva a munere Præconis se abstinere coactus est tantus Dei Legatus.

Scio eqvidem viros doctos esse, qvi ista verba Christi, ut argumentum, qvod ex iis pro anni tempestate, qva Dominus Samariam transiit, conficitur, infringant, in alium rapiunt sensum, volentes dictum proverbiale esse, ex trivio desumptum, sine ulla temporis præsentis indicatione aut notatione intelligendum. Sed qvo jure id asserant, videndum est. Notatur sane qvatuor mensium distantia, qvæ intercedere notatur inter duos terminos, *a qvo* unum, & alterum *ad qvem*, qvi ultimus ponitur tempus messis: jam qvæso, dicant mihi Viri Præstantissimi, qvis terminus *a qvo* sit, nisi tempus, quo hæc dicebat Christus? aut qvis sit terminus alius, qvi in sensu proverbiali commodam dicti rationem præbere possit? obstat particula ἔτι iis, qvi termini *a qvo* definitionem extra tempus præsentis sermonis a Christo habiti qværunt. Qvoniam ergo messis tempus a medio mensis Nisan incipit, qvi primus vernalis est; Mense *Cisleu* dici potuit, seu autumno ad finem vergente, restare adhuc qvatuor menses, ut veniat *messis*. Hæc sane expositio plana & simplex est; atqve circumstantiæ dictorum satis convenit: Christus enim, ut non male Cl. Ligtfootus, indigitando in numerosam illam turbam ex urbe erumpentem, & intra ejus conspectum provectam, qvasi dixit, *attollite oculos*, & spectate, affluentem animarum messem, ubi locorum nulla adhuc seminis facta est consitio. Ita allusio est ad tempus, qvo hordeum nondum erat terræ commissum. Qvantum proin miraculum existimandum foret, si messem agas ante sementum, tantopere etiam cum admiratione animadvertenda erat multitudo credentium, & ad Christum accedentium, anteqvam semen verbi Evangelii ibi auditum, aut inter eos disseminatum fuerat. Concludimus proin, qvod Johannes ad carcerem raptus, huic Christi profectui contemporaneus cum fuerit, etiam ad autumnum anni xxx. referendus sit, haud videtur dubitandum, qvod hactenus demonstrare conatus sum.

F I N I S.